VIRO CLARISSIMO

JO: MATTHIÆ GESNERO

PUBLICO GOTTINGENSI PROFESSORI

A. M. CARD. QUIRINUS
S. R. E. Bibliothecarius & Episc. Brixien.

UT primum literas tuas, Vir Clarissime, legi, sero quidem ad me delatas, quod involucro quodam lentis veredariis commendato fuerint comprehensæ, illico eas magnopere idoneas existimavi, quæ in publicum prolatæ Italos meos desiderio illustrandæ Antiquitatis, qua ratione ipsæ demonstrant eandem illustrari debere, inflammarent. Itaque consilium inii, quod modo impleo, eas prelo vulgandi, transmittendique huc illucque ad amicos, quibuscum literarium colo commercium, primoque loco ad Illustrissimum Bayardum, quem jam novi nihil reliqui facere, ut quantocius amplo Herculanensium Antiquitatum Volumine, a Prodromis suis expeditus, Eruditos omnes earundem avidos donet. Nominis tui authoritas, editumque dudum a Te de iisdem Antiquitatibus Programma, nullus dubito, quin ei doctissimo Præsuli jam currenti calcar addant, indeque Opus illud votis nostris exoptatissimum quamprimum in dias luminis auras protrahatur.

Quoniam vero litteris illis pro singulari tua erga me humanitate sociare dignatus es elucubratam a Te Cassellani Marmoris, quo Hymni continentur in Æsculapium, Hygeam, & Telesphorum, explicationem,

a gra-

gratias Tibi pro eo munere magnas primum ago, moxque quid mihi de tua illa explicatione visum fuerit, candide aperio. Amplexatus sum Monimentum illud ceu auro pretiosius, quippe quod occasionem Tibi præbuerit divinatricis facultatis vim exerendi, cui parem non aliam mihi in Antiquariorum Scriptis spartas hujusmodi adornantibus occurrisse, confiteor. Reliquias, postremi præsertim Hymni, in quibus nonnisi quædam disjecti membra Telesphori nemo non agnoscat, scite adeo atque affabre compegisti, ut non Lucina tantum, sed Veneres, Cupidinesque ex atro pisce formosam undique puellam, comptam scilicet Poesin, effinxisse videantur. Ea Machaoniæ artis peritia, cujus ope evanidas literas, aspero quantumvis hiatu frequenter a semetipsis seclusas, aptis intermixtis supplementis, conjecturalibus quidem, at admodum ingeniosis, copulasti, talem tantamque mihi injecit admirationem, ut omnino dignum Te reputem iis ipsis plausibus, quibus Medicus Deus in Cassellano Marmore celebratur, hisce nimirum,

Jam salve mihi, o sanans, o multum gaudii ferens, Care Gesnere.

Celebramus te, beate, lucem ferens mortalibus, largitor bonorum,

Salve morborum depulsor, Gesnere, inclute, prudens.

Hoccine œstro me percitum nemo miretur, qui noverit librum de Primordiis Corcyræ, ab annis triginta, dum ejus regionis Infulas gererem, a me evulgatum, ac ipsum legendo deprehenderit, in priscis quibusdam Græciæ Inscriptionibus explicandis me quoque haud raro sudasse. Rogo Te, Gesnere, ut librum illum Tibi sat bene compertum, quemadmodum certum

tum me facit etiam literarum tuarum, quibus modo respondeo, exordium, tuas in manus rursus sumas, ad trutinam revocaturus quæ de Græco Epigrammate, insignique Donationis instrumento ibidem prodidi. Bernardum Montfauconium, cui chorus omnis Antiquariorum assurgit, utriusque illius monumenti lectionem & sensum magnopere labefactasse haud dubitavi affirmare. Idque an nimis audacter, judices statim, velim, ex Epigrammate illo, cujus metricam versionem a me concinnatam hic subjungo,.

Basilides annorum XXIII.

Quæris quis fuerim, quibus atque parentibus ortus?
Disce, Hospes, paullum stans propius tumulum.
Glaucus me genuit, peperitque Chrysogona mater,
Ex me autem lucri nil retulit misera;
Namque animum amisi patria e Bithynide longe,
Nave mea incassum fretus, & artis ope.
In Scheria tandem ventosi ad littora ponti
En jaceo, spectans triste mihi pelagus.

Hæc ego supplendo pedem unum, quem in primo versu deesse compereram, impletaque lacuna, quæ in sexto versu comparebat, atque aliis locis, necessitate cogente, manu medica leviter admota. Montfauconius autem in medium afferens pluribus idem Epigramma mendis fœdatum, nil mirum, si minime valuerit sinceram ejusdem versionem adornare. Multo magis lapsus ille est in exhibendo Donationis, quam indicavi, instrumento, & quidem vel sub primas ejusdem lineas cespitavit, haud quaquam animadvertens non agi in eo de Donatione facta *Urbi Corcyræorum, & Baccho in mercedem operariorum*, sed facta Urbi Corcyræorum

a 2 in

in mercedem Histrionum Bacchi. Utinam non paucula hæc tantum, sed alia multa, quibus in meo illo libro Illustrium Auctorum dicta expendere, & emendare suscepi, ad solidæ & perspicacis Critices lancem expenderet Gesnerus aliquis, paratus namque forem quæcumque ipsi displicuissent emendare.

Tandem certum Te facio, admonitum a me fuisse Bayardum Præsulem de iis quæ ante aliquot annos mihi scire te cupere scripsisti, videlicet, *An statua illa Equestris celebratissima revera habuerit titulum Nonii Balbi? an forte ingenio & conjectura alicujus debeatur ista conjunctio, & relatio? Deinde in equo, cum is phaleras & alia ornamenta habeat, lubet scire, an ferra habeat pedibus suppacta? Neque enim diffiteor, post ea, quæ in indice Scriptorum rei rusticæ* (*Voc. Solea*) *disputavi, me putare indicium certum novitatis esse, si in equo picto, vel scalpto ferrum tale inveniatur. Ita exquisitione curata dignum mihi videtur, quod de Specularibus fenestrarum dicit Venutus pag.* 136. *Sane quantum ex Plinio, Vitruvio, Rusticis constare mihi potuit, Specularia illa hibernacula modo plantarum, aut forte Zotbecularum ornatui servierunt; ad fenestras diurnorum cubiculorum muniendas, quæ* Puros transmittant soles, & sine fœce diem, *adhibita non reperio*. Cum Bayardo pariter communicavi quæ de Nonii Balbi Inscriptione censuisti, nimirum, *Nonium Balbum Actiacis temporibus tribunum plebis, Cæsari Octaviano faventem contra Antonium, Dio memorat. Nec desunt Noniæ genti alia decora. Potest legi P. R. PROC. Populi Romani Proconsuli: potest legi PRætori Proconsuli. Nec enim absurdum esset, ut ex Prætore Proconsul fiat aliquis, sub primis præsertim Impera-*

peratoribus; posse aliquem Proconsulem dici, non adjecto Provinciæ nomine, & extra Provinciam, non habet difficultatem. Potuere Hærculanenses causam habere honoris habendi Viro, cujus Proconsulatus ceteroqui nihil ad ipsos pertineret e. 1. g. ac. Sed illud me movet, quod dicitur in pictoris Epistola, esse hic titulus in basi Statuæ Equestris: *qui honos videtur rarius Romæ, & in illa vicinia cuiquam tributus, nisi vel Imperatori P. R. florente Rep., vel deinde Imperatori alicui Augusto. Porro cum temporis notam non habeat ille titulus, cum ex forma externa existimare, vel divinare nobis nihil liceat: hæc omnia faciunt uti fere pudeat conjicere aliquid, quod æque facile rejicere aliquis possit, quod flatu velut aeris disjiciat, si quis inspiciendi lapidis ipsius habeat copiam.* Demum compertum Præsuli feci Plinianæ villæ, quo flagrabas, desiderium, hisce verbis mihi dudum declaratum, *Ne tamen plane nihil de literulis nostris habeat hæc epistola, rogare te*, EMINENTISSIME CARDINALIS, *sustineo, uti nuper de Herculanio, quæ preces (aut potius tua humanitas) multum profuere antiquarum rerum studiosis; ita nunc de Villa Plinii Laurentina, quam detectam sub hujus seculi initia asseverate contendit Jo: Maria Lancisius in Philologicis animadversionibus in Plinianam Villam nuper in Laurentino detectam, editis Romæ* 1714. *fol. in cujus libelli §. 6. ita alloquitur Lancisius Marcellum Sacchettum, Hierosolymitani Ordinis apud Clementem XI. P. M. Oratorem, uti roget „delineandam „suscipiat, ærique incisam publici juris faciat„. Et fuit, qui mihi persuasum vellet factum id esse, eamque delineationem, vel ipsas adeo tabulas æneas in Vaticana Bibliotheca delitescere. Tibi quidem, Eminentissime Bibliothe-*

the-

thecarie, nihil, quod sit in illis thesauris, diu posse delitescere, mihi certum est Prodire illas tabulas me vivo dulce mihi esset, quia confido sic futurum, ut videant homines nullam a me injuriam factam esse vel Felibenio, vel Castello (in meis ad Plinii Epist. 2. 17., & 5. 6. annotationibus) cum dixi, eas ab illis datas nobis esse Villas Plinii, quas suis forte præferret revocatus ad hoc judicium ab inferis dominus, Ceterum suas fuisse, nullo modo agnosceret.

De hisce omnibus, quæ operæ pretium putavi meis istis literis propalari, admonitus Illustrissimus Bayardus, nullus dubito, quin ipse gaudeat aditum per Te factum exquisitissimæ eruditioni suæ per apertos veluti campos expatiandi, torrentis instar,

Qui quacumque trabes, obstructaque saxa jacebant,
Spumeus, & fervens, & objice sævior ibat.

Eum Præsulem acutissimis suis disquisitionibus idoneum esse dividendo indivisibili, tribuendæque finitis rebus infinitati, ceu effatum Viri cujusdam doctissimi alibi retuli, in Epistola scilicet ad Venetum amplissimum Senatorem Flaminium Cornelium; quidni ille tuis illis percontationibus ceu magnus Apollo respondeat. Unum est quod ex Herculaneis Antiquitatibus ab ipso minime præstolemur, papyrorum nimirum, quæ ultra centum in ruinis illis detectæ sunt, interpretatio, nam istas eædem ruinæ, humidum loci, incendia, & ætas perdiderunt, ut in Epistola illa prodidi, Præsulem ipsum testatum mihi fuisse. Vale.

Brixiæ die XXX. *Augusti*. MDCCLIV.

P. S. Rogo Te, ut meo nomine Clarissimis, eruditissimisque Collegis Feverlino, & Moshemio salutem impertiaris, ac gratia-

tiarum actionem pro muneribus ad me recens transmissis impendas. Quæ de Gratia Spiritus S. seu Præveniente, seu Operante, seu Cooperante conscripsit Feverlinus, nutent, & corruant, oportet, nisi fundamento innitantur, cujusmodi Concilii Tridentini authoritas Can. IV. Session. VI. constituit, hoc scilicet: *Si quis dixerit liberum arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam Justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit*. Id ipsum privatis meis literis jam Feverlino insinuavi, atque insinuare pergam. Moshemii autem Commentarii de rebus Christianorum ante Constantinum scatent utique selecta eruditione, ac pleni sunt succo, lethifero tamen aliquando, quibus propterea retractandis si Catholicus quispiam calcem calce premens incumberet, istum multo magis operæ pretium facturum existimarem, quam fieri hac ætate a quibusdam assolet levidensi, & jeuna Ecclesiasticæ Historiæ enarratione, quæ oblectet, & moneat potius quam doceat. Meam hanc de Commentariis illis sententiam eorundem Authorem minime celandam putavi.

EMI-

EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPI

ANG. MAR. CARD. QUIRINO

JO: MATTHIAS GESNERUS
Publ. Profess. Academiæ Gottingensis.

NOvum pignus habeo benivolentiæ tuæ, literas tuas a. d. XXIV. Martii datas, quibus comitari Tibi placuit exemplum politissimæ tuæ ad Illustrissimum Bayardum Epistolæ, cui etiam honorificam mei mentionem intexere, humanitati tuæ visum est. In hac Epistola admiratus sum ingenium illud & elegantias, quibus ita tractasti Virum, ut admonitum se sentiat, conqueri non possit;

Veluti pueris absinthia tetra medentes
Quum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Absinthi laticem, deceptaque non capiatur:
Sed potius tali tactu recreata valescat.

Quanto Tu, Domine, melius venustiusque Virum excepisti, quam a diurnorum Parisiensium Auctore factum est! Non ille videtur cogitare Horatianum illud, *Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam*; sed facere velle cum Parca pactionem Penelopes pacto non dissimilem, ne prius fila sibi ea vitæ abscindat, quam suam ipse Herculaneam telam detexuerit. Quam libenter condonaremus Venutis vestris, Bayardisque, & remitteremus suas de antiquo statu Italiæ disputationes! modo liceret fideli illorum ac diligenti opera, quid proprie inventum sit, rescifcere. Sed quæ modo tela texitur, quæ modo initur ratio, magna nos dejicit de spe, magnumque conjicit in metum, ne illa arcani disciplina, & velut μυςηριοκρυψία monstri aliquid alat ne illæ exornationes, illæ vernicis inductiones, illæ reconcinnationes, ordinationes, interpolationes denique & variationes inde forte exortæ, fidem etiam eorum, quæ sincera sunt, imminuant. Quam ego vellem! laboriosum aliquem, sed veteri fide & ferrea diligentia, & bene oculatum a corpore ac mente, Ger-

ma-

manum hominem, Hagenbuchium aliquem (forte innotuit Tibi, Domine, hoc nomine lignum nobis vocari *robore & candore commendabile*) vel hujus similem, auspiciis, aut, quando illa Carolo Regi fortuna tribuit, ductu certe Emi Quirini hisce thesauris protrahendis, digerendis, describendis, dare operam; reliqua explicandi, illustrandi, commentandi cura præbita & permissa ingeniis omnium gentium, quæ & nunc sunt, & quæ post aliis erunt in annis. Profecto si ita pergent Heroes illi vestri, qua cœperunt, gloriam sibi πολυιστορίας parient, si modo pariant, hiantes vero deludent Archæophilos. Si diu nimis in occulto habeantur monimenta publica, si in operto tractentur, ut sacra Bonæ Deæ, non poterunt non in easdem incidere suspiciones, quibus olim illa ipsa Bona Dea, quibus Eleusinia, illa τῶν Θεσμοφοριαζουσῶν, illa Isiaca, quin ipsa Christianorum mysteria infamata sunt. Pergula pictorum certi nihil, omnia ficta, ne plane Enniano more loquar. Vivunt in Germania peregrinatores quidam, qui, cum ad ipsos illud de Herculano Programma (*) meum (quod ego, licet uno alteroque nævo deformatum, tamen vehementer, ut proxenetam Quirinianæ benivolentiæ, amo) misissem, ita responderunt, ut mihi commendarent illud vafri Siculi, Νᾶφε, καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν, Se interfuisse simili scenæ anno Sæculi nostri XVI. actæ in prædio Elbovii Ducis, a Porticibus illis non longe remoto, ubi artificum quorundam subtilitas Antiquariis nimium cupidis fucum fecerit. Audaciam aliquis hominis privati, minuti literatoris, condemnabit, qui audeat hæc ad Cardinalem, & Principem eruditum, & Coryphæum ingeniorum Italicorum scribere. At ausus est idem homuncio suo ex angulo adloqui ipsum Regem Carolum, nec male cessit. Soletis vos magni Politici atque Reges non modo *densis urgere culullis, & torquere mero*, quos explorasse velitis, verum simulata ἀντιλογίᾳ irritare, quos occulta quadam notitia gravidos suspicamini, ut illam improvido abortu ante tempus ejiciant. Quid si tentemus simili quadam ratione bilem movere thesaurorum illorum custodibus & quasi νεωκόροις, ut irati faciant forte, quod precibus dare nolunt? Certe quiddam hujus in Rev. Paciaudio me conatum esse, non diffiteor. Sed astutus ne ego simulator sum, qui sic de meo consilio indicem, exploratoris illius stupidi similis, quem ajunt inclamatum a portarum urbis, quam prodere vellet, custodibus, silentium poposcisse sibilo, & submissa voce, se exploratorem esse, dixisse. Scilicet facit tua

 in-

indulgentiſſima humanitas, Domine, uti liberius & hilarius adeo tecum agere, & jocari adeo ſuſtineam.

Facta modo mentio Hagenbuchii tui (qui magnus Viri honor eſt) me admonet, ut Tibi narrem, indulgentiſſime Domine, eum in locum defuncti nuper Civis ſui Bochati, delectum eſſe Sodalem Societatis, quæ apud nos eſt, Scientiarum, in claſſe hiſtorico-philologica, quæ cum binis minimum in ſingulos annos diſputationibus mihi augenda ſit, ea quoque res facit, publicari ut optem de reſurgentis Herculani viſceribus aliquid, in quo elaborare poſſit, & efficere aliquid eruditis oculis non indignum qualiſcunque noſtra induſtria. Piget vero conari aliquid, ubi illud ipſum quod τὸ κείμενον vocatur, incertum eſt & fluctuat: quemadmodum fruſtra opera in interpretando veteris Scriptoris loco ponitur, quamdiu incerta velut nutat lectio, quæ ideo conſtituenda eſt ante conatus alios. Bene vale, Indulgentiſſime Domine, & tam longe ævum extende, quam late patet nominis tui gloria.

Scrib. Gottingæ A.D. XXVII. *April.* CIↃ IↃ CCLIV.

Idem Eidem.

(*) Jam tradenda curſoribus erat hæc Epiſtola, cum ecce redditur mihi ſigno tuo, Reverendiſſime Domine, munita & inſcripta nomini meo plagula chartæ, in qua Programmatis de Herculano partem illam audaciuſculam ſpargere Tibi viſum eſt. Non potui non impenſe mihi gratulari honorem nomini meo ab Eminentiſſimo QUIRINO habitum; ſed momordit me tamen, fateor, detractum eſſe illi Nomen, a quo uno pretium illa charta nanciſci poſſe aliquod videbatur: tanto curabitur a me ſtudioſius, ut prima quaque occaſione hoc illi reddatur. Quanquam quis etiam detracto Nomine non agnoſcit eruditi chori Præſulem?